

mundissimam : de qua nasceretur : prophetis oraculis se prefatum nasciturum elegerat. Virgo nempe regia non alta sapiens : sed humilia respiciens : ab Angelis nunciante salutata : sed non corde exaltata : que ad laudes proprias turbata est : non gaudio effusa : que prior fide in mente genuit : quam in ventre Deum : quem natum adorat creatorem : quem Angelorum obsequia plusquam hominem testantur : qui palam fit pastoribus : quem sapientium obtusa corda non noverant : astrum jularis insoliti Reges docet : et antecedit ducatum prebens ad Salvatorem : qui vagiens in presepe Regum creptura curvavit : et qui matri non intulit fastidia ventris : ejus suffudit mirabili jubilo mentem. In partu Virginem se leta miratur : in Filio se matrem Altissimi letatur : lactabat prolem Virgo : per quam pascitur homo. Te igitur **469** omnipotentem mirabilia opera exaltant : quia majora feceris redimendo : quam creando. Condidisti nos in sapientia : redemisti in misericordia : quem decet hymnus : quem merito Angelorum laudat exercitus : et unanimiter spiritus justorum laudantes adorant : ita dicentes. *ñ. Sanctus. Sanctus. Sanctus*

*Post Sanctus.* Vere sanctus : vere beatus Dominus noster Jesus Christus : qui matris sanctissime miseratus : virginali ejus pudicitie virginem custodem destinavit : que in terris celebris hominibus : ab Angelis celebrior in celis colitur illa mysteriorum divinorum conscia parens : Apostolorum non ignara mali consolabatur erumnas : et filii archana fidelis : et mystica discipulis revelabat. Cujus ex ore melle dulcor *ñ. Avebat oratio : cooperante a Domini matre filii ejus affluentia : qui vivit et omnia regit cum Patre et Spiritu b Sancto.*

*Post pridie. Oratio.* Illustratione tua Christe Jesu mentium nostrarum tolle caliginem : nam Virginis matris tue meritis poscimus adjuvari : oramusque : ut ejus patrocinio : hec oblata sanctifices :

*a Domini Matre? Forte : Dominicæ matri filii ejus affluente gratia, etc.*

A et sanctificata nostrorum tergant scelerum maculas : et ad tua promissa nos dirigere digneris. *ñ. Amen.*

*Ad orationem Dominicam.*

Deus virtutum sponse tue Ecclesie indeficiens conservator : quam per gloriosissimam Virginem matrem tuam gratiarum donis vivificas : ejus quesumus pia intercessione : ad mandatorum tuorum observantiam nos dirigere digneris : et presta ut puro corde quod precipis oremus e terris. Pater noster.

*Dicat Presb.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. *ñ. Et cum spiritu tuo.*

*Benedictio.* Misericors Deus : per illam charitatem : quam habuit erga Virginem matrem suam : vobis conferat auxilium ad vitam eternam. *ñ. Amen.* Fons ille gratiarum inspiret vobis dona : que vos gratiores sibi reddat. *ñ. Amen.* Donet et pacis dulcedinem : que vos concorditer foveat in gremio matris Ecclesie. *ñ. Amen.* Per misericordiam Dei etc. Dominus sit semper vobiscum.

*ñ. Et cum.*

*Dicat Chorus.* Gustate et videte. *Quere in festo Corporis Christi. fol. 267.*

*Oratio.* Sumpsimus Domine tui corporis et sanguinis salutarem refectionem : quesumus : ut interventu gloriose Virginis Marie : adsit nobis mentis et corporis robur per hoc sacramentum : ut ad vitam eternam sit viaticum sempiternum : qui vivis et omnia regis in secula seculorum. *ñ. Amen.* Perennitatis nostre sumpsimus Verbi incarnati mysterium : quod in utero Virginis Marie nostre carnis commercium assumere dignatus est : ea igitur interveniente patrona : eterne in nobis vite gratiam operare bone Jesu. *ñ. Amen.* Per misericordiam tuam Deus etc. In nomine Domini nostri Jesu Christi mysteria cum pace peracta sint : et votum vestrum ab eo acceptum sit. *ñ. Deo gratias.*

*b Sancto. Adde : Christus Dominus ac Redemptor æternus qui pridie, etc.*

## BENEDICTIO PANIS.

*ñ. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ñ. Qui fecit celum et terram. ñ. Sit nomen Domini benedictum. ñ. Ex hoc nunc et usque in seculum. ñ. Domine exaudi orationem meam. ñ. Et clamor meus ad te veniat.*

*Dicit Presbyter.* Dominus sit semper vobiscum. *ñ. Et cum spiritu tuo.*

*Oremus. Oratio.*

Benedic Domine creaturam istam panis : sicut benedixisti quinque panes in deserto : ut omnes qui ex eo gustaverint : tam corporis quam anime recipiant

D sanitatem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia semper secula seculorum. *ñ. Amen.*

*Dicit Presbyter.* Dominus sit semper vobiscum. *Respondeat Chorus.* Et cum spiritu tuo.

*Benedictio.*

Benedictio Dei Patris omnipotentis † et Filii † et Spiritus Sancti † descendat et maneat super hanc creaturam panis. *ñ. Amen.*

*Et statim aspergat aquam benedictam.*